



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1518

VD16 E 3644

Pavli Diaconi De Gestis Romanorvm Liber Decimvssextvvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14277

PAVLI DIACONI DE

GESTIS ROMANORVM

LIBER DECIMVS

SEXTVS.

LEO AVGVSTVS.



ANNO ab urbe condita. M. CC. XI. post Martiani Imperatoris interitum, Leo quintus ac quadragesimus Romanorum regum, apud urbem Constantinopolim, augustali potitus est dignitate: qui deinceps sequenti tempore Leonē suum filium, sui imperij confortem effecit. Exempto quoq; in Italia humanis rebus Auito, Maiorianus apud Rauennam inuadit imperium: quod cum propè annis IIII obtinuisset, haud procul à Tertrionensi ciuitate iuxta Hiriam flumen occisus est: Statimq; Seuerus apud Rauennam Imperator efficitur, & Augustus appellatur. Tertio huius imperij anno, Biorgor rex Alanorum cum exercitu adueniens, occurrēte patritio Ricimere, superatus nō longe à Bergamo ciuitate Venetiæ, atque extinctus est. Seuerus cum quatuor annis imperasset, morte propria apud urbem occubuit. Eodem tempore egresso inopinante igne, magna Constantinopolis ædium strage cremata est. Deinde totius consensu militiæ, post Seueri mortem, iura imperij Antemius suscepit. Sequenti anno Seruandus Gallorū præfectus, imperium tentans inuadere, iussu Antemij principis in exilium trusus est. Rursus annali emenso spatio, Romanus patritius imperij iam fraudulenter satagens arripere dignitatem, præcipiente Antemio capite cæsus est. His quoq; diebus Gensericus iterum Italiam aduentare nauibus cupiens, à Basilico patritio nauali superatus certamine, Carthaginē inglorius repedauit. At uero in orientis partibus Asper patritius, Leoni Augusto insidias moliens, suum filium Cæsarem effecit. Leo uictorem exercitum statim è Sicilia uocans, patritium cum nouello Cæsare, alióq; eius germano, digno uitæ multauit excidio. Hoc deniq; ipso in tempore, inter Antemium principem, eiusq; generū Ricimerē patritium, qui tunc Mediolani positus præerat Liguriæ, magnus discordiarū fomes exortus est: quibus se uir senectute conspicuus Epiphanius Ticinensis episcopus interponens, eos primū ad cōcordiam reuocauit. Deinde barbarica perfidia foedus Ricimer rumpens (erat em̄ Gotthus profapia) cum manu mox ualida ad urbem cōtendit: atq; apud Anienis pontē castra posuit. Diuisa itaq; Roma est: & quidā fauebant Antemio, quidā uero Ricimeris perfidiā sequebant. Inter hæc Olimbrius à Leone Augusto missus, ad urbem uenit: uiuóq; adhuc Antemio, regiā adeptus est potestatē. Billimer Galliarū rector, cognita aduersus Antemiū cōspiratiōe Ricimeris, Antemio ferre præsidium cupiens

cupiens, Romam properauit. Is cum Ricimere apud Adriani pontem praelium committens, continuo ab eo superatus atq; occisus est. Extincto Billimere, mox uictor Ricimer urbem inuadens, IIII iam annos agentem iura imperij Antemium gladio trucidauit. Præter famis deniq; , morbiq; penuriam, quibus eo tempore Roma affligebat, insuper etiam grauissime deprædata est: & exceptis duabus regionibus, in quibus Ricimer cum suis manebat: cætera omnia sunt prædatorum auuiditate uastata. Sed nõ diutius de perfidia lætatus est Ricimer. Nam post mensem tertium excruciatu langoribus & ipse interijt. Mortuo Ricimere, Olimbrius Imperator, Gundibarum eius nepotem patritium effecit. Olimbrius quoq; , dum septē menses imperium gessisset, morte propria Romæ defunctus est. Post huius funus, Liarius domesticus à Gundibaro patritio; totius etiam uoluntate exercitus, apud Rauennam Imperator efficitur. Anno deinde sequenti inopinate nepos patritius cum exercitu ueniens, Licerium regia exiit potestate: eumq; apud Salonas Dalmatiarum urbem, episcopum ordinauit. Eo tempore cum apud Tolosam Vuisigothorum populis Euricus regnaret, ac per Italiæ, & Galliæ fines inter Nepotem, & Euricum litium fomenta creuissent, bellumq; ediuerso utriq; præpararent: interueniente Epiphanio, de q̄ præmissum est, Ticinensi episcopo, fœderis inter eos iura firmata sunt. Haud procul ab his temporibus, Theodericus cognomento Strabo, Triaci filius, cum magna Ostrogothorū multitudine, usq; ad quartum urbis milliariū armatus aduenit: nulli tamen Romanorum noxius: continuoq; ad Illyricum reuersus, extinctus est. Exigit nunc locus dicere, quam ob causam Gotthorum alij Ostrogothæ, alij uero Vuisigothæ sint dicti: opportunumq; est aliquantulum ad superiora tempora regredi, quatenus horum ratio uocabulorum possit exponi. Temporibus Valentiniani superioris Augusti, cum intra Thraciæ fines Gotthorum tunc populi communiter habitarent, bifarie per Alaricum ac Fridigernum diuisi, decreuerunt, ut utranq; Remp. id est, Fridigernus cum suis orientalem: Alaricus uero cum suo exercitu occidentalem opprimeret. Hi ergo qui cum Fridigerno in orientali remanserant parte, lingua patria ab oriente Ostrogothæ, id est, orientales Gotthi dicti sunt. Isti uero, qui occiduas petiere regiones, ab occidente Vuisigothæ, id est, occidentales Gotthi sunt appellati. Leo igitur Augustus postquam orientale, decem & septem annis rexit imperium, diem clausit extremum.

ZENON IMPERATORI



MORTVO Leone, Zeno continuo Augustalem nactus est dignitatem. Leonem itaq; , de quo præmissum est, quem pater Leo in regni adsciuerat potestate: mater sua, Zenonis imperium formidans, occulte clericum fecit. Exigente autem uehementer Zenone, ut filium proderet, pro eo alium forma similem obtulit. Qui Leo deinceps in clericatu ad Iustiniani usq; tempora uixit.

Augustulus.



PSO quoq; anno Augustulus apud Italiam aduersus Nepo-
tem cum exercitu ueniens, effugato eo, imperij regimen inua-
sit. Annali deinceps circulo euoluto, cum rege Vuandalorum
Genferico fœdus inïtum est ab Oreste patritio. Hæc dum
apud Romanos gerunt, Odoacer cum fortissima Herulorū
multitudine, fretus insuper Turtilingorū siue Scyrorū auxilijs, Italiam ab extre-
mis Pannoniæ finibus properare contendit: qui dum adhuc per Noricorū rura
exercitum duceret, cognita Seuerini fama CHRISTI domini serui, qui illis tunc
degebat in locis, ad eum ut sibi benedictionē petiturus, accessit. Qui, dum bene-
dictione percepta, ab eius egredi cellula uellet: & caput, ne superliminari hostij,
eo quod proceræ esset staturæ, allideret, inclinasset: à dei uiro futurorū præscio
mox talia audiuit. Vade nunc ad Italiam, uade Odoacer uilissimis interim ani-
mantium pellibus indutus, multis cito plura largiturus. Hæc ille uerba rerum
exitu comprobauit: nam aliquantis postmodum annis, totius Italiæ insuper &
urbis usus est potestate. Ingresso itaq; Italiam Odoacre, statim ei apud Ligu-
riæ terminos Orestes patritius occurrit, qui aduersus fortissimam multitudinē
nihil se præualere conspiciens, maxime cum eum iam quidā suorū deseruissent,
metu trepidus, intra Ticinum se munitionis fiducia conclusit. Mox adueniens
cum exercitu Odoacer, expugnatam fortiter ingreditur ciuitatē: uastantur uni-
uersa rapinis, sæuit ubiq; gladius, diuina quoq; , priuatāq; ædificia ignis absu-
mit. Captus demum Orestes ab hostibus, Placentiam usq; perducit: ibiq; gla-
dio detruncat. Exinde per uniuersas idem Barbari urbes diffusi, cunctam sine
aliqua tarditate Italiam iuri proprio subdidere: multasq; tunc ciuitates paran-
tes resistere, extinctis habitatoribus ad solum usq; deiecere. Odoacer itaq; pro-
speros sibi cernens successus accrescere, statim regiam arripuit potestatem. Au-
gustulus quidem, qui imperij præsumperat dignitatē, cernens uniuersam Ita-
liam Odoacris uiribus subdi, inopinabili metu perterritus, sponte miserabilis
purpuram abijciens, cum uix XI mensibus Remp. obtinuisset, imperialem de-
posuit maiestatem. Ita Romanorū apud Romam imperiū toto terrarū orbe
uenerabile, & Augustalis illa sublimitas, quæ ab Augusto quondam Octauia-
no erecta est, cum hoc Augustulo perijt. Anno urbis conditæ, M. CC. XXIX. A
Caio uero Cæsare, qui primo singularem arripuit principatum anno CCCC.
XVII. Ab incarnatione uero domini anno CCCC. LXXV.

O D O A C E R S E R V L V S .



GITVR deiecto ab Augustali dignitate Augustulo, urbem
Odoacer ingressus, totius Italiæ adeptus est regnū: quod cum
annis XIII. nullo inquietante tenuisset: ab orientis tunc parti-
bus ueniens Gotthorū rex Theodericus, Italiam possessurus
intrauit. Sed ut ad liquidum, ob quam causam, uel unde adue-
nerit, possit agnosci: necesse est aliquantis per ad superiora re-
pedare.

pedare. Vualamir Ostrogothorum rex, de quo superiori bello præmissum est, quod Attila Hunnorum regi subiectus extiterit: mox ut Attila occubuit, ab Hunnorum se, suoq; dominio, auita libertatis memor, excussit. Idem quoq; & Gepidarum rex Ardaricus, cæteraq; Hunnis subiectæ faciunt nationes. Hunni uero dolentes Vualamirum, eiusq; exercitum, non solum se à suæ ditionis iugo excussisse, sed etiam cæteris nationibus, ut similia facerēt, incentores fuisse: mox ut fugitiua mancipia eos insequentes, ad seruitutem pristinam armis aggressi sunt reuocare. Conglobatis itaq; suis, super Hunnos Vualamir irruit: tantaq; in eos cæde grassatus est: ut de reliquo, qui superfuerant, Hunni, Ostrogothorū arma formidarēt. Leo deniq; Imperator cum Gotthis post hæc Illyricum uastantibus, foedus iniit: Ac Theodericum Thiodimeris filium, ex Arilena concubina genitum, ab Vualamire eius patruo obsidem accepit. Occiso deinde Vualamire à Scyris, Thiodimer eius germanus, regia iura suscepit. Diuiso deinceps regno, Thiodimer orientis, Vindimer uero occiduum sortitur imperium deuiandum. Sed mox ut Vindimer Italiam ingressus est, rebus excessit humanis, successorē Vindimer filium relinquens. Vindimer uero acceptis à Licerio tunc Imperatore muneribus, Gallias contendit: seseq; cum parentibus Vuifgotthis iungens, unum populum effectit. Interea dum suauis patrata uictoria Vindimer domum reuertit, Theodericum filium à Leone Imperatore missum, gratanter excepit: qui Theodericus, dum iam octauum decimum annum ageret, & in scio patre aliquantis secum satellitibus adscitis, uicinam sibi Sarmatarū gentem inuadens, opima ex eorum nauibus patri spolia, prædamq; copiosam reportauit. Thiodimere itaq; uita decedente, uniuersis adnitentibus, ad regni gubernacula Theodericus ascendit. Quod factum cum ad Zenonem Augustum perlatum esset, gratanter accepit: eumq; ad se rursus euocatū Constantinopolim, magno simul honore & diuitijs extulit, in tantum ut etiam consularibus eum fascibus sublimaret: quæ dignitas post imperiale fastigium prima est: æneamq; illi equestrem statuam ante suum palatiū collocaret. At uero dum huiuscemodi Theodericus delitijs apud Constantinopolim afflueret, gens illius, id est Ostrogothæ, dum eis per fidei sanctionē prædas agere more solito nō liceret: nec tamen ab Imperatore oblata stipendia sufficere possent, cœpere nō minimam egestatis penuriam pati. Execrantur foedus compositum, uituperant inutilem pacificationem, mittuntq; continuo ad Theodericum, qui dicerent: quod cum ipse Græcorum epulis superflueret, illi inopiæ miserias sustinerēt. Hortantē ut si suis, sibiq; consulere uelit, citius redeat: quatenus ne cuncta gens pessundet: & nouas ad habitandum sedes exquirant. His Theodericus cognitis, ad Augustum Zenonem confestim accedit: questus, in super penuriamq; suorū exponit: Italiam sibi dari postulat: absolutionem efflagitat, adiiciens: quod si superare Odoacrem posset, Italiamq; obtinere, ad eius redundaret gloriam, à quo directus fuisset. si in bello superatus foret, nihilo minus lucris accresceret: quandoquidē quotidianorum stipendiorū exactoribus careret. Talia Zeno audiens, cōtristatus quidem est, eo qd' eum nollet dimittere. Attamē deliberato consilio Reip, utilitati
Aa prospiciens,

prospiciens, eius petitionibus annuit: Italiam ei per pragmaticū tribuens, sacri etiā uelaminis dono cōfirmavit: Senatūq; illi, populūq; Ro. cōmēdans, abire permisit. Egressus igitur Constantinopolim Theodericus, ad Ostrogotthas reuertitur: hortaturq; cōtinuo, ut cōprimū parati sint, quatenus possessuri Italiam proficiscant. Attamē prius, cōp ad Italiam aduēta, Trasillam Gepidarū regē infidias sibi molientē, bello superans, extinxit: Businūq; Bulgarorū regem magna cū suis agminibus cæde, prostrauit. Egressus itaq; à Mylia cū omni Ostrogothorū multitudine, uniuersaq; supellectili, per Syrmīū, Pannoniasq; iter faciens, ad Italiam uenit. Ac primū iuxta Sontium flumē, qd' nō longe ab Aquileia labitur, castra cōponēs, dum uberrimis, quæ eo loco habent pascuis, fatigata aliquantulum ex itineris longitudine iumenta reficeret: ibi mox ei cū grandi suorū exercitu totius Odoacer Italiæ uiribus occurrit. Quē Theodericus alacriter excipiēs, magno superatū pralio, postremo in fugam cōuertit. Exinde Theodericus mouens cū Veronā uenisset: iterū aduersus eum Odoacer non minori, cōp prius belli sese apparatu opponit. Contra quem Theodericus haud procul Veronensi urbe cōfligens, nimia eius exercitū cæde cōtriuuit: Ipsumq; pariter & omnē illius multitudinē dare terga cōegit. Qui dum fugæ metu se præcipites in Athesim fluuium mergunt: ex magna parte rapidissimis eius gurgitibus impliciti, suffocant. Theodericus uero, dum ipso impetu subsequit fugiētes, Veronā ilico, pauore ciuibus consternatis, inuadit. Odoacer autē cū ijs qui euaserant, fugiens, Romā cōtendit. Sed obseratis cōtinuo portis, exclusus est. Qui cum sibi denegari introitū cerneret, omnia quæ attingere potuit, gladio, flammisq; consumpsit. Inde quoq; egrediens, Rauennā ingressus est. Ibiq; quibus se aduersum hostes tueret, munitionū præparare obstacula cœpit. Theodericus itaq; à Verona digrediens, Mediolanum peruenit: ubi dum cōsisteret, magna ad eum multitudo militū, pluresq; Italiæ populi conuenere. Sed paucis interiectis diebus, rursus deditus totus exercitus, Tuffa quodā nomine instigante, Odoacris se partibus reddidit. Ea res Theodericū in tantū perterruit: ut se, suūq; exercitum apud Ticinensem urbem muniret. Talium rerū uarietates Burgundionū rex Gudubadus aspiciens, Liguriam cū ingenti exercitu ingressus, cuncta quæ reperire poterat, pro uoluntate diripiens, infinitā secum ad Gallias captiuorū multitudinē adduxit. Theodericus itaq; aliquandiu intra munitiones exercitū retinens, demū relictis ibi matre, sororibus, uniuersaq; uulgi multitudine, nihil planē dubius de Epiphaniū uiri sanctissimi fide, cū expeditis armatorū cunctis ad Odoacris obsidionē Rauennā perrexit: dumq; eo loco, cui Pinetū nomē est, nō procul ab urbe castra posuisset, per cōtinuū penē trienniū Odoacrē obsedit. Qui cū frequēter ex urbe cū suis egrediens, eius exercitū inquietaret: nouissime noctu in castra irruens, magna Theoderici exercitum strage prostrauit. Victus ad extremum fortissime Gotthis resistentibus, in urbem confugit. Nec multo postea à Theoderico in fide susceptus, ab eo truculente peremptus est. Egressis deniq; à Ticinensi urbe post trienniū Gotthis, eandē mox urbem Rugi inuasere, cuncta per circuitū loca, simulq; & ciuitatē per cōtinuum bienniū popula-
tione

tionē uastantes, cū beatissimus Epiphanius superesset: cuius in tantis periculis sanctitate ciues releuabant afflicti. Hic à Theoderico Gallias ad Gundubadū pro captiuis redimendis directus, excepta innumera multitudine, pro quibus primū tribuit sex millia captiuorū ob solam sanctitatis suæ reuerētiā sibi concessa secū reduxit. Igitur Theodericus extincto apud Rauennā Odoacre, totius Italiæ adeptus est ditionē. Nec multo post Romā pfectus, à Romanis magno gaudio susceptus est, quibus ille singulis tritici ad subsidiū annis uiginti millia modiorū cōcessit. Dum hæc apud Italiam gerunt, à Bulgaris uniuersa Thracia deuastat. Constantinopolis etiā ipsis diebus maximo cōflagrauit incēdio. Ast uero apud Africā Honoricus, qui mortuo Genserico in regnū successerat, Arriana perfidia, trusus in exiliū, effugatisq; amplius, q̄ CCCXXXIII catholicis episcopis, & ecclesijs eorū clausis, plebem uarijs supplicijs affecit. Et quidē innumeris manus abscindens, linguas eorū præcidit: nec tamē loquelam catholicæ confessionis eripere potuit. Apud Britannia quoq; Ambrosius Aurelianus, qui solus forte Romanæ gentis Saxonū cædi superfuerat, purpurā induit: Victoresq; Saxones, Britonū ducens exercitū, superauit saepe. Atq; ex eo tēpore, nunc hī, nunc illi palmā uictoriæ habuerūt: donec Saxones potētiores effecti, tota per longū insula potirent. Theodericus interea, ut sui regni uires cōstabiliret; Audfredam Ludouici Francorū regis filiam sibi in matrimoniū iunxit: Almafredam germanā suam, Vuandalorū regi Honorico: eius Almafredæ filiam Malabergam, Toringorum regi Ermenfredo: Theodico quoq; & Ostrogottho ex cōcubina filias, alterā Alarico Wuifgotthorū regi, alteram Sigismundo Burgundionū consociauit. Amalasiuntham uero tertiam filiam, Eutharico ex Alemannorū stirpe uenienti, euocato ab Hispania, tradidit. Nec fuit aliqua uicina Italiæ gens, quæ Theoderico aut cōiunctionis affinitate, aut pactionis scedere sociata nō fuerit. Zeno itaq; Augustus, cum per annos XVII Reip. præfuisset, apud urbem Constantinopolim uitæ terminum accepit.

PAULI DIACONI DE

GESTIS ROMANORVM

LIBER DECIMVS,

SEPTIMVS.

ANASTASIVS.



ESSANTE iam Romanæ urbis imperio: utilius, aptiusq; mihi uidetur ab annis dominicæ incarnationis, supputationis lineam deducere: quo facilius quid quo tēpore actum sit, possit agnosci. Anno ab incarnatione domini CCCXCII. post Zenonis excessum, Anastasius purpuram induit: qui XLVII in Regum numero extitit. Hic Romani decus imperij Eutichianæ hæreseos illuue maculauit. Huius

Aa 2 temporibus